Conciones et Orationes paneg.
Thomas Aquinas

Fr. Moicki Raymundi: Caelum laudibus Doctoris Angelici Divi Thomae Aquinatis efformatum.

CAELVM

Laudibus Doctoris Angelici
DIVI THOMÆ AQVINATIS
Efformatum,

ET

In Festiuo Solemnitatis eius Applausu,

Post

Publicos Theologicorum Comitiorum Discursus,

A

Patre Fr. RAYMUNDO MOIECKI Sacræ Theologiæ Lectore, & eius in Studio BARICCIANO Varsauiæ Ordinario Professore Ordinis Prædicatorum,

Theologico Consistorio,
Stylo breui

DEMONSTRATVM.

VARSAVIÆ,

Apud Hæredes Petri Elert. S. R. M. Typographi Anno 1666.

Qui autem Docti fuerint, fulgebunt ſicut Splendor firmamenti. *Daniel. 12.*



Splendor eius vt Lux erit. *Habac: 3.*

ADMODVM REVERENDO PATRI

IOANNI WAXMAN.

Sacræ Theologiæ Magistro Dignissimo,

&

Generalis Studij Prouinciæ Poloniæ Regenti Meritissimo, Ordinis Prædicatorum,

Patri ac Benefactori Colendissimo.

AD *Te*, Admodum Reuerende Pater Magister *ac* Regens Dignissime, *ea quæ in Laudes Angelici Præceptoris facere licuit, deferri æquum visum est. Nec enim aliò suauius diuertit Laudum ac Præconij sonus, quàm vbi dignior benigniorue ad percipiendum expectat auris. Haud est dubium Te animo libenti, affectu hilari, benignâ aure Doctoris Angelici sentire Laudes, qui Nectareâ eius Doctrinâ aliorum ditas aures, satias corda. Offertur en Ti-*

bi Cœlum, cuius quidem influxuũ gratiam hâc in Polonâ Prouinciâ dispensare conspiceris, non aliter ac Vigil Præsul, amans Pater, Arbiter prudens, Pastor diligens, fidelissimus Oeconomus. Ac profectò æquissimus quiuis iudex THOMAM factum Cœlum Tibi offerendum decernet, nam Te validissimum ceu Atlantem suaui Cœli huius ponderi Vigilantiæ ac Laboris humeros supponere nemo non videt. Porta ergo, felicissime Atlas, porta Cœlum THOMAM, ac sic feliciter cum eximio Præsulatus Theologici Munere sustenta Cœlum THOMAM, vt Te Thomas, post diutissimam lucis huius vsuram, translatum ad Cœlestia, faciat fulgentem in perpetuas æternitates.

Admodum Reuerendæ Paternitatis Vestræ

Humillimus

Seruus

Fr. Raymundus Moiecki Sacr: Theol. L. & Professor Vars.

DVm hæc Muneris Theologici conſcendo Roſtra, videre mihi videor Cœleſte quiddam in eo ſplendidiſſimo Veſtrûm concilio, Præſtãtiſſimi ac Sapientiſſimi Auditores. Mirarer ſatis meæ imprudentiám linguæ, ſi quos præſentes in vna conſeſſus facie oculis cerno, nil omninò efformare cœleſtis mente conciperem. Me equidem, & præſens Theologica cui dignanter intereſtis Sermocinatio, & hic fauorabilis Dignationis veſtræ confluxus, & ea ipſa quam Chriſti Cætus Doctoris Angelici Sacris dicauit Feſtiua Dies, ad eum commouent ſenſum, vt Vos intra feliciſſimi amplitudinem Cœli manere iudicem. Solemnem diem, iam noui, cœleſtis portare ſpeciem lætitiæ, eò quòd Angelico Doctori, Doctori ſit Sacra Cœleſti; & Veſtrûm confluxus, patens eſt cœleſtialis Societatis ſignum; & hæc Theologica quæ ſpeculati eſtis Aſſerta, quid aliud quàm cœleſtem loquũtur actionem? Sentite quæſo mecum, Audito-

res,

res, Jllustrissimum Ecclesiæ Decus Diuum THOMAM AQUINATEM hanc sortis cœlestis Vobis dedisse formam. Illum ego, veritate fultus, nixus ratione, fortunatissimum quoddam contemplor Cœlum, ac hunc in modum beneuolæ auri referre satago. Meum erit, velocem mouere linguam de Cœlo THOMÁ; Vestrum, hactenus quiete gaudere cœlesti.

Cœlum nouerit quiuis, puriori præstans substantiâ superiores tenere locos; rotundæ existens Sphæræ, faciliorem habere motum; continuo liberale influxu, amabilem his inferioribus præstare vitam. Nec enim quidcunq; vitali actu potiretur in terris, si influxuum gratia negaretur à cœlis; nec facili cœlum gauderet motu, si Sphæræ careret formâ; nec superiori dignum iudicaretur loco, si non præstantiorem possideret substantiam. Et præstántiæ eminentiam, & mobilitátis elegantiam, & vitalis influxus gratiam præcontinet Aquinas Cœlum. O quanta Cœli istius præstantia! quæ tantò eminentior apparet, quantó illustrior Vita Aquinatis patet. Præstat Aquinas altitudine generis, candore iuuentutis, Sanctitate Ordinis, Vitâ perfectionis, animo deuotionis, gradu sanctitatis, copiosâ abun-

bundantiâ Virtutum amplitudinis: Adeò vt, quemadmodum Supremus Orbis Arbiter, Orbe iam condito, Firmamentum, seu (altero loquente textu) Extensionem vocauit Cœlum, acsi nonnisi Firmum, nonnisi Extensum extare debeat Cœlum; sic THOMAS AQVINAS, Præstans Firmitate, Extensione Præstans, Firmus perfectionibus, Extensus virtutibus, stupor omnibus extat, cunctis exemplum præstat; vt ex eo solùm THOMAS vocári Cœlum dignus inueniatur, quia omnigenâ virtute cælatus conspicitur. Quis non videt THOMAM, Infantem adhuc, cum dulci Aue MARIA, virtutum in se iecisse fundamenta? Adolescentulum, diligentiori Literis nauatâ operâ, arctam viuendi amplexum normam, firmissimum (haud obstāte Fratrum renitentium diuulsione) retinuisse propositum? Fortem Athletam, carnalem fugasse hostem? spreuisse mundum, superasse dæmonem? otio bellum, labori fœdus indixisse? fortis Patientiæ, Humilitatis sublimis regulas seruasse? Ieiunij frequentiam, Orationis assiduitatem exercuisse? ac quantùmcunque latitudo patet virtutis, tantùm THOMAM AQVINATEM profecisse? Profecit THOMAS eo passu virtutis, quo acquisis-

ſet locum altitudinis. Et velut Gygas ad currẽdam viam firmò ſe accinxit robori virtutis, quò ſe extendiſſet ad Præſtantiam ſublimitatis. Iam ergò THOMÆ conſpicua eſt Virtutum præſtantia, quem voces etiam Cœleſtes fatentur Virginali præſtantem munditiâ. Præſtat AQVINAS cunctis, eminet vniuerſis. Quàm ecce eminẽti Cœlum hoc ponendum loco! Mobilem porrò appellabo THOMAM, qui omnibus mobilibus mobiliorem adamauit Sapientiam. Quem quæſo latet incomparabilis Sapientia THOMÆ? quâ motus, attigit à fine ad finem fortiter, non Naturæ, non morum, non Cœli, non ipſius Deitatis ſecreta arcana omittens, vt eò vbique dono ſibi dato deſuper pertingere potuiſſet. Ac, ſi olim Sapientiâ præditum orbis vniuerſus mirabatur Salomonem, cur non omnes clamantem emittemus vocem, Ecce pluſquam Salomon hic? hic AQVINAS, hoc Cœlum, de quo, ſi & tale os, & talem vocem ſortiretur Sapientia, veriſsimo eloquio, libenti proferret ſono, Cœlum, hoc Cœlum, mihi ſedes eſt. Quidni ſedes Sapientiæ THOMAS, quem Regali veluti fulgẽtem Maieſtate, tota Sapientum veneratur vniuerſitas? à quo copioſiſſimo veluti ex torrente

pro-

procedentia rigant totam Sanctam Ecclesiam Doctrinæ flumina. Qui non aliter ac Sol mundo ortus, clarissimos fudit Christiano in Orbe radios. Cœlũ, quod nostris hisce patens est oculis, aliquãdo nobis occultari cõspicimus, Israelitarũ Rege de DEO sic proferẽte: Qui operit Cœlum nubibus. Felicius longè THOMAS est Cœlũ, quod nullâ obscuritatis occultatum nube, felicissimè cœlestem profectò influit Doctrinam, nec minimâ difficultatis caligine inuolutam, nec minimâ falsitatis notâ impeditam; Quæ, sicut ab omni erroris suspicione libera, sic nullius defectus vmbrâ infecta, quinimò veritate, claritate, docilitate, conspicua est. Non mea hæc sufficit lingua istius Cœli influxus enarrare gratiã, Theologorum Sanctissimum THOMAM tot laudibus celebrantium audiantur præconia; Ora Sancta ipsorum Summorum Antistitum loquĩtur. Diui THOMÆ Doctrinam Ecclesiæ Militanti victoriam felicem ac telorum hæreseon elusionem conferre Summus Pontifex testatus est PAVLVS Quintus: infinitos errores Doctrinâ Diui THOMÆ esse confutatos, protulit PIUS Quintus: Veridicam & Catholicam Diui THOMÆ Doctrinam appellauit VRBANVS Quintus:

pro-

proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum Doctrinæ Diui THOMÆ adſcripſit INNOCENTIVS Sextus: ſingularem ordinem ac miram perſpicuitatem ſine vllo prorſus errore in Doctrina Diui THOMÆ reperiri & eundem Diuinæ Voluntatis Angelicum Interpretem acclamauit CLEMENS Octauus: ac alij Summi Pontifices multis alijs Diui THOMÆ Doctrinam titulis extulerunt, laudarunt, prædicarunt. O felix Cœlum, cuius adeò ſunt laudabiles influxus! Fabuloſum meminerimus Antiquitatis paradoxum, Cœlum ne graui dilabatur ruinâ portentoſis Atlantis cuiuſdam ſuſtentari humeris: Talem nullatenus expaueſcit caſum AQVINAS Cœlum, perpetuitatis quippè vigore pollens, non alicuius baſis indiget ope, ſed DEI ipſius ſuſtentante lætatur Dexterâ, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Non ergo ſine rectiſſimi conſilio iudicij ſupplex ab Altiſſimo flagitat Eccleſia, vt queat ea quæ Diuus THOMAS docuit Intellectu conſpicere. Diuos Apoſtolos PETRUM & PAULUM Scholas THOMÆ viſitaſſe ignoramus? MATREM DEI dulcia THOMÆ AQUINATI præſtitiſſe alloquia neſcimus? SPI-

RI-

RITVM Sanctum Cœlestibus donis aurem THOMÆ ditasse dubitamus? à Dulcissimo Redemptore ipso datam THOMÆ vocem, *Bene scripsisti de me* THOMA, *quam ergo mercedem accipies*, non audimus? O THOMA, Ecclesiæ Lumen, Fidei Columen, Veritatis Doctor, Hæreseon expugnator, quis non satiatiuum Doctrinæ Tuæ missum Tibi desuper Lumen agnoscit? quis vel modico saltem exercitio Tuæ Doctrinæ degustans influxum Te non satis benignum experitur Cœlū? Jam tibi post huius decursum Viæ æuiternæ reddito Patriæ congaudet Beatus, at hîc semper Te Viator collaudat Doctus: Scio alios Te appellasse Solem, alios Te vocasse Iridem, gratum Tibi sit iam Te nuncupari Cœlum; In quo Cœlo en hactenus Theologicus vidit DEVM Intellectus: In Te Cœlo qui manet, doctrinâ fæcundus, ingenio clarus, iudicio discretus remanet, ac ideo satiatur, exultat lætatur: cum namq; sis Cœlum, sicut lætantium omnium habitatio est in Te.

DIXI.